J. GEORGII ALTMANNI

EXERCITATIO

HISTORICO-PHILOLOGICÂ,

DE

GENTE HERODUM,

Et illis præſertim ex hac ſtirpe Viris quorum ſit mentio in Scriptis

NOVI TESTAMENTI.

BERNÆ, ex Officina Typogr. Illuſtriſſ. Reipubl. Bernenſis, ANNO MDCCL.

EXERCITATIO HISTORICO - PHILOLOGICA,

De

Gente Herodum, & illis præſertim ex hac ſtirpe Viris, quorum ſit mentio in Scriptis Novi Teſtamenti.

ARGUMENTUM.

§. I. BRevibus via ad tractationem præſcripti thematis paratur.

§. II. Origo Gentis Herodum deſcribitur, primus qui innotuit fuit Antipater.

§. III. Vita Antipæ vel Antipatris filij brevibus exponitur.

§. IV. Hiſtoria vitæ & obitus Herodis Magni vel infanticidæ. Matth. 2: 1.

§. V. Vita Herodis Archelai, qui Tetrarcha Judææ Matt. 2:22.

§. VI. Ejuſdem Hiſtoria & finis exponuntur.

§. VII. Herodis Philippi Tetrarchæ Iturææ fata deſcribuntur.

§. VIII. Inveſtigatur quæſtio an Herodes Antipas Philippo Tetrarchæ, an autem Philippo Philoſopho Herodiadem rapuerit.

§: IX. Herodis Antipæ geſta & triſtis exitus declaratur. Luc. 3: 1. Matth. 14: 4.

§. X. Herodis Agrippæ Majoris fata producuntur. Act. 12: 1.

§. XI. Vita ejus ulterius deſcribitur.

§. XII. Præſentiſſima Dei in hunc hominem vindicta exponitur. Actor. 12: 23.

§. XIII. Herodes Agrippa Minor profertur. Actor. 25: 13. Berenice ſoror ejus deſcribitur.

§. XIV. Quæ Druſilla fuerit, illuſtratur. Actor. 24: 25. obiter quædam de Felice afferuntur.

§. I.

FRequentissima est in Scriptis Evangelicis Herodum mentio, hinc haud dubiè necesse est, nos, ad intelligenda Scripta Novi Fœderis, cognitione esse munitos, de Gentis Herodiadum origine, fatis, & diversis ex illa progenitis viris principibus. Duo autem in antecessum monenda. Primò quidem nihil intricatius esse historia Herodum, de qua re unanimis doctorum consensus. Alterum nullam unquam extitisse familiam, quæ tot impios, nefarios, omni criminum & scelerum squalore contaminatos habuerit viros, ùt hæc Herodum, de qua pauca tantum, quantum ad varia loca N. Testamenti illustranda erit necessarium, dicere est animus. De communi autem hujus Gentis impietate veterum extat distichon.

Ascalonita necat pueros, Antipa Joannem
Agrippas Jacobum, clauditque in carcere Petrum.

§. II.

De gentis Herodum natalibus pauca admodum constant. Hoc communiter receptum & probatum, Herodem Antipatrum, Herodis Magni avum Idumæum fuisse, Ascalone oriundum. Quidam hunc gentilem fecère, Apollinis Sacerdotem, inter quos est *Eusebius*

Hist.

Hist. Eccl. Lib. 1. *cap.* 7. Hoc equidem verum, Ascalonem urbem fuiſſe antiquiſſimam, nefandæ Idololatriæ deditam, & famigerato Veneris templo conſpurcatam, ex qua impietate haud dubie derivandæ variæ comminationes Divinæ apud Prophetas, Jer. 25: 20. item 47: 5. Zephan. 2: 4. Zach. 9: 5. Antipatrum verò, vel ejus avos fuiſſe Sacerdotes Idololatricos, certis argumentis probari non poteſt. Primus ex hac gente, de quo hiſtoriæ veterum nobis aliquam reliquêre memoriam, fuit Antipater, Herodis Magni avus, qui vixit tempore Jannæi, Hircani & Ariſtobuli, & quem Rex Alexander Jannæus, & ejus uxor totius Idumææ præfectum fecit. *Joſeph. Antiq. Jud. Lib. XIV. cap.* 2. *p. m.* 683. Tam amplo admotus muneri hic Herodes Antipater vel etiam Antipas, ingentes opes corradere potuit, ut magnus & ſplendidus ubique haberetur. Hæc pauciſſima ſunt, quæ de hoc Herode Antipatro certa tradi poſſunt, licet quidam & veteres & recentiores Scriptores diſſentiant, unicum enim teſtimonium Joſephi in hac re nobis ſufficere poteſt, & inde judicamus cum *Noldio Hiſtor. Idum. pag.* 4. quod auctoritas antiqua Scriptoris domeſtici non ſit deſerenda.

§. III.

Hunc Herodem Antipatrum excipit Herodes Antipas vel Antipater filius, dictus communiter Antipater Junior; hic à Patre relictas divitias auxit, & cum ingenio maximè valeret, & natura ad laborem & induſtriam factus & natus videretur, à parente ſibi partam gloriam ad majus adhuc faſtigium perduxit. Pri-

mus hîc fuit è gente Herodum, qui Judæorum rebus ſe immiſcuit, & ab illo etiam libertati Judæorum vulnus illatum verè lethale. Occaſionem tantæ afflictioni fecit Ariſtobulus, Jannæi Pontificis & Regis filius. qui cum eſſet natu minor, lividis oculis videbat fratrem ſuum natu majorem Hircanum eo quo convenit jure & Regnum & Pontificatum a matre Alexandra, cui pater teſtamentô dominatum commiſerat, accepiſſe, hinc turbas movet Ariſtobulus fratri ſuo Hircano, & homini probo & pacifico bellum denuntiat, eumque ſede turbat, & ad vitam privatam detrudit. Cùm autem Herodes Antipater tum naturali propenſione in Hircanum, tum etiam criminis atrocitate motus, hæc ferre non poſſet, Hircanum fratrem depoſitum ſuſcitat, atque Aretam Arabiæ Regem in partes Hircani perducit, atque hoc modo Ariſtobulus deponitur, Hircanus autem ſuo loco reſtitutus, ut hac de re teſtis eſt *Joſephus Antiq. Lib. XV. cap.* 5. Dum hæc geruntur Herodes Antipater omni ſtudiô Romanos ſibi conciliat, dum quosdam Imperatores Romanorum annona & milite, alios autem Magnates donis & pecunia ſibi amicos facit, hinc Antipater primò Judææ Procurator, mox cum fratre ſuo Phaſelo Tetrarcha conſtituitur, ut hæc latius exponit *Spanhemius Hiſtor. Eccl. Vet. Teſt. p. m.*465. *& Robertus Baillius Oper Chronol. Lib. I. pag.* 288. Cùm autem vires reſtaurat Ariſtobulus, & de novo cum fratre Hircano de principatu contendit, uterque Pompejum advenientem in partes trahere ſtudet; Ariſtobulus, quia Hieroſolymam contra Pompejum muniverat, cum duobus filijs & totidem filiabus Ro-

mam

mam mittitur : Judæa per hanc inteſtinam fratrum controverſiam tributaria facta & Judæi jugo Romanorum ſubjecti, abolitô hôc modô Sceptrô, Legislatura & Jure Gladij : Antipater autem à Malicho Judæo, in quem plurima & inſignia beneficia contulerat, veneno tollitur, & paulo poſt tota proſapia, quæ remanſerat ſanguinis Aſſamonæorum miſere extirpatur.

§. IV.

Ad Herodem Magnum vel infanticidam jam deveniendum, Herodis Antipatri filium, qui matrem habuit Cypron, illuſtri ſtirpe Arabæa oriundam, hujus hominis indolem & imperium brevibus verbis ita deſcribit *Moshemius Inſtitut. Hiſt. Chriſtian. majore p.* 70. „ Herodes, cui vitia nomen Magni pepererunt, cùm „ ad res magnas gerendas minimè eſſet ineptus, incre„ dibili ſævitia, ſuſpicione, inſano luxu, bellis magni„ ficentia fortunam ſuperante, immoderatis largitio„ nibus, alijsque flagitijs infinitum ſibi odium confla„ bat, miſeræque gentis, cui præerat, opes penitus ex„ hauriebat, & hôc auctore Judæorum oculi ludis „ Romanorum, alijs inſtitutis, in quibus haud pa„ rum erat impietatis, adſueſcebant; Hoc duce luxu„ ria, quæ Romam corruperat, multis ſociata libidi„ nibus Hieroſolymas migrabat. „ Hunc ingenio magno ad omnia natum, ſi virtus acceſſiſſet, Pater Antipater maturè rebus gerendis admovit, cùm & teſte *Joſepho Antiq Jud. XIV. cap.* 17. Galilææ præponebatur, cùm annum ageret decimum quintum. Mulieres habuit plurimas, & inter has etiam Mariamnem, ex

ſtirpe

ſtirpe Regia Judaica ortam; Octavij & Antonij favore, dum Romæ regnum pro ſe tanquam alienigena petere non ſtatim auderet, ſed pro fratre uxoris flagitare vellet, à Senatu Rex creatur, & quidem tanto honoris teſtimonio, ut Curiâ egredientem urbis principes Auguſtus & Antonius comitarentur, atque hôc modô omnis poteſtas Judæorum ſubito collapſa, & quæ hactenus umbra remanere viſa fuit, penitus evanuit. Maxima ei gloria enata ex templo Hieroſolymitano ſplendidiſſimo, quod intra Decennium abſolvit, ut hoc modo gentem ſibi gratam redderet, & facinorum memoriam, plurima Judæorum cæde aſperatam, mitigaret: De hoc Herode dici poteſt, quòd fuerit foris feliciſſimus, domi autem afflictiſſimus. Calamitatis domeſticæ auctores erant Salome, ſoror, & Antipater filius primogenitus. Horum erat intentio & conſilium de familia Aſſamonæorum funditus extirpanda, hoc autem nefandum propoſitum ut ad finem perducerent, calumnijs incitabant Herodem, hominem ad iram pronum & ingenio mobili natum, ut uxorem Mariamnem è medio tollat; atque tanta erat horum hominum induſtria ut Herodes uxorem perimeret, imò etiam avum Hircanum, matrem Alexandram, & duas ex Mariamne filios Alexandrum & Ariſtobulum ad mortem damnaret. Nec in hoc ſolo facto perſiſtebat Herodis crudelitas, ut affines, Patruos, amicos, atque fratrem Pheroram vel ferrô vel venenô enecaret, ſed & cumulum ſævitiæ & atrocitati tandem addebat, cum infantes Bethlehemiticos necaret, quam hiſtoriam Auguſtus cum nece filiorum Herodis unam facit teſte *Ma-*

crob.

crob. Saturnaliorum Lib. II. cap. 4. *p. m.* 270. cujus verba hæc ſunt: *Cùm audiviſſet inter pueros, quos in Syria Rex Herodes Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium ejus quoque occiſum, ait, Melius eſt Herodis eſſe porcum quàm filium.* Libros quoque Genealogicos Judæorum quotquot invenire potuit, teſte Euſebio, aut corrupit, aut combuſſit. His & plurimis alijs ſceleribus conſcientia ejus adeò cruciabatur, ut homo regiô ornatus diademate, vitam ageret miſerrimam, & ſub finem vitæ præſertim adeò Divina manus ſceleſtiſſimum hominem premebat, ut ſibi ipſi vitam cultrô finire tentaret, morbô graviſſimô, inteſtinorum exulceratione, colicis paſſionibus, carne vermiculis ſcatente, fœda tentigine & horrendô fœtore, reſpirandique difficultate ita premebatur, ut jam in hac terra æterni cruciatûs præludia ſentiret. In extremis agens, ita adhuc per flagitiorum ardorem ſæviebat ejus animus, ut proceres Judaicos advocatos, theatro includeret, eâ mente, ut quàm primùm impiam animam efflaſſet, jugularentur omnes, ut hôc modô Judæa in morte ſua lugere cogeretur, cùm aliâs facilè augurari poſſet, tam nefandi latronis mortem gaudium & lætitiam maximam apud Judæos ſuſcitaturam. Sed Salome ſoror, cui tam nefandi ſceleris executio data fuerat, Herode mortuô concluſos omnes liberos dimiſit. De anno ejus emortuali, qui incidiſſe videtur in ſex ſeptimanas purificationis Mariæ, aliâ occaſione dicendum erit.

§. V.

Herodes infanticida ex decem mulieribus liberos

B ſuſtulit

ſuſtulit plurimos, ex quibus autem in hiſtoria Evangelica & Apoſtolica tres præ reliquis notandi veniunt, ſcil. Archelaus, qui Tetrarcha Judæorum fuerat per octo vel decem annos. Philippus, qui Ituræa & Trachonitidis, & Herodes Antipas, qui Galilææ Tetrarcha erat. De his autem ante omnia dicendum, quod ex teſtamento Herodis regionum modò memoratarum hæredes fuerint conſtituti; Ita enim tabulæ teſtamentariæ Herodis Magni erant conſcriptæ, ut Archelao dimidium regni paterni concederetur, cum titulo Regio, altera dimidia regni parte inter Philippum & Antipam diviſa cum Ethnarchæ nomine. Hoc etiam teſtamentum Romæ in omnibus partibus confirmatum, una tantùm excepta, quæ in eo conſiſtebat, quòd Archelaus equidem ſemiſſem regni à patre relicti deberet poſſidere, ſed regiô titulô abſtinere uſque ad illud tempus, quô ſe titulô regiô dignum reddidiſſet, teſte *Joſepho Hiſt. Lib.* 17. *cap.* 13. Tribuitur equidem Herodi Archelao nomen regium, Matth. 2: 22. cujus rei cauſa & ratio hæc duplex eſſe poteſt, prima quidem, quia paſſim à Judæis ita vocabatur, qui hujus hominis ambitionem & crudelem animum noverant, & ideò eum communiter eô nomine vocabant, quia Rex à patre in teſtamento ſcriptus erat, lite interea ab Antipa Romæ agitata, an frater Archelaus non potiùs ex tabula teſtamentaria antecedente, in qua Antipas hæres totius regni paterni ſcriptus erat, ab omni hæreditate excludendus ſit, & ſecundò, quia titulus regius apud Græcos communior erat, quàm autem apud Romanos, & ſæpe honoris cauſa talibus dabatur, qui regnum & ſub-

ſubditos non habebant, quæ etiam mens eſt & explicatio *Basnagii Hiſtor. Judaic. cap.* 11. *pag.* 55. Dici ergo debebat ex mente Cæſaris Tetrarcha, quia nomen Tetrarchæ non ſemper hominem denotat, quartam Provinciæ partem regentem, ſed Principem & regionis alicujus rectorem, licèt non tres ſecum haberet in eadem gente vel regione Principatum cum eo gerentes; ut hæc jam prolixius à nobis fuêre expoſita in *Obſervatt. ad Matth. cap.* 14. *verſ.* 1. *Tom. II. pag.* 145. Notandum etiam, quòd hic Herodes Archelaus apud Matth. loc. c. non propriè Rex vocetur, ſed ei tantùm tribuitur βασιλεύειν, quod non tam latè patet, ac autem titulus Regius, plurimi enim regnant, qui Reges non ſunt, ut hoc probatione non indiget.

§. VI.

De Archelao autem pauca tantum dicenda. Educatione gaudebat ſplendida & nobili, Romæ enim educatus erat, ut ibi ſtudia, mores, legesque Romanorum ſibi familiares, & magnates urbis benevolos redderet. Ab initio quidem ſiniſtra uſus eſt fortuna, cum fratris Antipatri calumniis apud patrem deprimeretur, ut ſtatim conſtituerit illum à paterna hæreditate excludere. Cùm autem Herodes pater cognoviſſet, fraudem ſubeſſe & delatorem punivit, atque Archelaum dimidiæ partis regni hæredem ſcripſit. Herode Magnô defunctô, patris exequias magnificè celebravit, & populum ſibi ab initio faventem habuit, cui etiam publice omne ſtudium & benevolentiam promiſit, ſed non diu hâc aurâ populari gaudebat, cujus rei rationem ita deſcribit

ſcribit *Noldius in Hiſtor. Idumaa p. m.* 220. „ Primô
„ tempore principatûs Archelai oritur ſeditio Hieroſo-
„ lymis, propter eos, quos Herodes ob aquilam tem-
„ plo decuſſam quondam interfecerat, cùm induci non
„ poſſet populus contumax, ut propoſito deſiſteret,
„ Archelaus armis uti ſtatuit, creſcente enim ſedi-
„ tioſorum numero, qui ad Paſcha confluxerant, Ar-
„ chelaus manifeſtum bellum veritus, copias ablegat,
„ quæ templum circumſiſterent, & reſiſtentes armis ad
„ obediendum cogerent; In eo tumultu, conjurato-
„ rum tribus millibus cæſis, reliqui trepidi in montana
„ acti ſunt, poſt quas turbas Archelaus Romam navi-
„ gat ad Cæſarem, ſuper regni confirmatione, ubi ex-
„ ceptus Antipæ accuſationibus, & quod prior ipſe
„ Rex fuiſſet ſcriptus. Ut Cæſar utrimque partes audi-
„ viſſet, ſic reſponſum habuit, ut Cæſar ipſum geni-
„ bus advolutum regno dignum judicaverit, cæterum
„ tum nihil determinaverit, ſed negotium pendens ma-
„ turârunt poſtea legati ex Judæa, nam cùm hi pete-
„ rent, ut gens ipſorum poteſtate regiâ, quâ tum cru-
„ deliter premebatur, liberatâ, Syriæ præfectis ſubdere-
„ tur, ea res Cæſarem cunctantem ſic elicuit, ut pau-
„ cis diebus poſt, Herodis teſtamentum in manus
„ ſumſerit, & illud in omnibus ratum juſſerit, præter
„ quam quòd Archelaus non Rex ſed Ethnarcha conſti-
„ tueretur. Poſtquam autem ea, quæ non pro voto
„ ſucceſſerant, Judæorum querelis & legationibus im-
„ putaret, tyrannice in regno multa cœpit agere, ma-
„ xime autem contra Samaritanos, duobus adhæc ſum-
„ mis Sacerdotibus, nempe Joazaro & Eleazaro de-

„ poſitis,

„ positis, ob quod iterum à gentis proceribus Romæ „ accusatus, & cùm accersitus ipse, parum se purgaret, „ Cæsar eum dominationis annô decimô ejecit Viennam in exilium, & Ethnarchiam ejus Syriæ adjungit, bonis omnibus in publicum redactis. „ Plura in hanc rem *Deylingius Observat. Sacr. Tom. II. p. m.* 339. ut & *Christian. Thomasius Dissert. de injustô Pilati Judicio*, quam videbis in *Hasæi & Ikenii Thesaur. Philolog. Tom. II. p.* 343.

§. VII.

Sequitur Philippus, filius Herodis ex Mariamne filia Simonis, hic à patre habuit Ituræam, ab Augusto Trachonitidim, Bataneam & Auranitidem. Tetrarcha vocabatur, licet possideret duas Tetrarchias; Hunc etiam Antipater calumniis apud Herodem Magnum ita notaverat, ut gratia paterna fere excideret, sed brevi calumniæ Antipatri detectæ fuerunt, quô factô Philippus in gratiam rediit apud Herodem Magnum, Antipatrô è contra jussu patris è medio sublatô, ferrô necatus, ùt est apud Scriptores antiquos. Facta quædam satis memorabilia & laude digna de eo recensent prisci Scriptores. A Varo Syriæ Præside Augusto commendatus, majorem hæreditatis portionem obtinuit, quam autem ei ex testamento paterno cesserat. Tetrarchiæ enim ejus adjecta Trachonitis, Batanea, Auranitis cum parte domus Zenodori, cùm ex testamentaria dispositione Ituræam tantùm accipere debuisset. *Joseph. Antiq. Lib. XVII. cap.* 13. Hic est, qui à Luca cap. 3; 1. vocatur *Tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis,*

nitidis. Hic vicum Betzaida, ad lacum Genezareth ſitum, incolis & opibus auxit & illuſtravit, & converſô nomine Bethſaidæ, quam deinceps voluit Juliadem à Julia Cæſaris filia vocari. Traditur communiter à Scriptoribus, hunc Philippum quidem gloriæ cupidum & magnificum equidem fuiſſe, pro ut erat indoles Herodiadum omnium, verum illum tamen æquitatem & juſtitiam præ reliquis coluiſſe, ita ut ex ſceleſtiſſima Principum propagine aliquis fuerit probus & externa ſaltem forma honeſtus. De eo fertur, quòd in more habuerit cum delectis ſæpè circumire provincias,& tribunal circum ferre, (ùt ſæpiſſimè mos erat Curatoribus & Procuratoribus Romanis, qui ita conventus agebant, & lites deponebant,) in quo jura reddebat litigantibus, ita ut ſæpè in via oppreſſis opem tulerit. Moriens magnum ſui deſiderium reliquit; Obiit Juliadi, annô ùt plurimi putant regiminis triceſimô ſeptimô, Tiberii ultimô, & ſepulchro, quod ipſe ſtruxerat, illatus fuit. Provincia ejus, quòd improles deceſſiſſet,Syriæ adjecta, ùt hæc latius exponit *Joſeph. Antiq. Jud. Lib. XVIII. cap.* 6. & poſt eum *Noldius Hiſt. Idum. p.* 275.

§. VIII.

Sed difficilis admodum & intricata eſt quæſtio, quam intactam hôc locô prætei ire nec poſſumus nec volumus, an hic Herodes Philippus non habuerit pro uxore Herodiadem, quæ poſtea ad fratrem Herodem Antipam ſeceſſit, ſecundùm ea quæ legimus Luc. 3 : 19. quòd Johannes Baptiſta *objurgaverit Antipam, eo quod*

in

in matrimonium duxisset Herodiadem, *Philippi fratris sui uxorem*. Quæ eadem etiam tradit Matth. c. 14: 3. dicens, *quòd Herodes Johannem comprehenderit & in vincula conjecerit propter Herodiadem*, *uxorem fratris Herodis*. Quæ repetuntur Marc. 6: 17. Herodiadem relictò primò maritô ad Herodem Antipam secessisse, & testes sunt Scriptores Evangelici & *Josephus Antiq. Jud. Lib. XVIII. cap. 5. p. m.* 883. Quisnam autem sit ille Herodes Philippus, an Tetrarcha, de quo sermo est, an alius aliquis Philippus, qui vitam egit privatam & philosophicam, apud Interpretes N. T. hactenus satis incertum, ùt ad h. l. fatetur *Wolfius* in Cur. Crit. quia Jósephus loc. cit. primum illum maritum tantùm vocat Herodem. In re tam dubia nos amplectimur sententiam *Grotij* in Commentar. ad Matth. 14: 1. qui putat, quòd hic Philippus, maritus primus Herodiadis fuerit filius Herodis Magni, dictus ad distinctionem fratris *Herodes Philippus*, atque hoc novum aut mirum videri non debet, quòd duo fuerint fratres, ejusdem nominis, quia duos etiam habemus Antipatros. Habuerat autem Herodes teste *Josepho Lib. I. contr. Apion.* fratrem Philippum, hominem privatum, cui testimonium tribuitur, quòd fuerit σεμνοτάτ☉ͅ, *vir honestissimus*, raro in gente Herodum exemplo. Duos fuisse Philippos, nullum est dubium; primus, qui erat Herodis filius ex Mariamne, Simonis Pontificis Maximi filia, quique duplici nomine, *Herodis* scil. & *Philippi* cognitus erat, hinc à Josepho simpliciter Herodes, ab Evangelistis *Philippus* dictus est, alter autem erat Herodis ex Cleopatra filius. Prior Tetrarcha erat, posterior

ſterior homo privatus, prior uxorem habuit ſecundùm teſtimonium Joſephi apertiſſimum Salomen Herodiadis filiam. Miror autem, luculentiſſimum iſtud pro hac re teſtimonium à viris doctis, quantum mihi quidem conſtat, hactenus fuiſſe neglectum, cùm enim res ſit certa, quòd Herodes Philippus Tetrarcha uxorem habuerit Salomen, filiam Herodiadis, probabile non eſt, quòd hic vir, qui magnam honeſtatis famam habebat, ùt vidimus §. VII. & matrem & filiam aut ſimul aut ſucceſſivè pro uxore habuerit. Hunc autem Salomen pro uxore habuiſſe, & illam Herodiadis filiam fuiſſe, deſcribit Joſephus *Antiq. Jud. Lib. XVIII. cap. 5. p. m.* 885. Addenda & hæc ratio, quòd probabile non ſit, quòd Antipas tam facilè fratri ſuo Tetrarchæ uxorem & rapere, & raptam retinere potuiſſet, cùm autem primus ejus maritus Philippus fuerit Philoſophus, vitæ ſpeculativæ in loco ab aula remoto addictus, quæ diſplicebat mulieri ſplendidæ & immoderatæ luxuriæ deditæ, eò facilius ad Antipam tranſire potuit, priore maritô vindictam exercere non valente. Erat autem Herodias filia Ariſtobuli, qui juſſu Herodis infanticidæ fuerat necatus, ùt hæc probat *Relandus in Tab. Genealogica Herodum, Palæſtin. pag.* 129. Atque ex his concludo, Philippum, cui Herodes Antipas uxorem Herodiadem rapuit, fuiſſe Philippum Philoſophum, non autem Philippum Tetrarcham, imò audacter concludo, quòd difficultates & dubia à Viris doctis paſſim circa hanc rem mota dudum diſparuiſſent, ſi ad hæc, quæ breviſſimè allata ſunt, attendiſſent.

§. IX.

§. IX.

Ad Antipam devenimus, qui & Herodes ſecundus & Antipas paſſim à Scriptoribus dicitur. Herodis Magni hic erat ex Malthace filius. Frequentiſſima hujus ſceleſtiſſimi hominis in ſcriptis N. Teſtamenti mentio. Hic Herodes Tetrarcha fuit Galilææ, Luc. 3: 1. Fratri Philippo Herodiadem rapuit, & Johannem nefariè capite truncavit. Matth. 14: 4. Vulpes à Chriſto vocatur, ex qua appellatione genius hominis ſatis deſcribitur. Luc. 13: 31. Chriſto illuſit. Luc. 23: 11. Ejus Procurator erat Chuza, Luc. 8: 3. Cum eo educatus Manahen. Act. 13: 1. A Matthæo & Marco vocatur βασιλεύς, communi apud Judæos loquendi ratione, licèt tantùm eſſet Ethnarcha vel Tetrarcha. Quem enim Matthæus cap. 14: verſu 1. vocat *Tetrarcham*, illum eodem capite verſu 9. *Regem* dicit, ex quo ſatis conſtat, quòd Regis & Tetrarchæ nomen huic tyranno promiſcuè fuerit tributum. Lucas enim illum paſſim *Tetrarcham* appellat, Luc. 9: 7. Affectavit equidem etiam titulum Regium, pro inſito Herodibus omnibus cancellos omnes excedente honoris ardore, & ideò Romam eſt profectus, ut Regiam dignitatem à Cæſare obtineret, quæ autem ambitio caſûs ejus & miſeriæ cauſa fuit. Notandum hôc locô in tranſitu, quòd Tetrarchis aliiſque viris Principibus ſæpiſſimè titulus regius fuerit datus à populis, quibus præerant, licèt à Cæſare ut Senatu Romano Reges non fuerint creati, ùt hoc ex ipſo Cicerone, Plinio & Joſepho probari abunde poſſet, ſi res hæc controverſiæ ſubeſſet. Antipas erat

colluvies vitiorum, Princeps omni ſcelerum & nequitiarum genere inquinatiſſimus, animo intemperante & ſupra humanam conditionem elato. Vitia in eo notantur inceſtus, tyrannis, hæreſis, hypocriſis, avaritia, ambitio, invidia, &c. quæ omnia variis auctorum teſtimoniis probari poſſent. Ambitione verò & invidia maximè torquebatur, cùm enim ejus nepos Agrippa, qui quondam inops & amicis deſtitutus vixerat, à Cajo Rex eſſet declaratus, Antipas ambitione & invidia concitatus, Romam proficiſcitur, ut dignitatem Regiam etiam poſſet conſequi, cùm verò Agrippa datis ad Cajum literis probaſſet, avunculum ſuum clandeſtine Sejani & Parthorum partibus deditum fuiſſe, dignas nequitiæ pœnas dedit, cùm à Cajo etiam Tetrarchiâ eſſet exutus & cum ſcelèſta muliere Herodiade, poſſeſſionibus ejus omnibus in Agrippam translatis Lugdunum in exilium miſſus, ibique, ùt plurimi putant, mœrore diem obijt ſupremum.

§. X.

Brevibus jam Archelai, Philippi & Herodis Antipæ geſta expedivimus, plurima jam dici poſſent de variis filiis & filiabus, quos numero plures habuerunt, ſed quid juvat prolixis verbis recoquere ſceleſtiſſimæ familiæ, quæ tot monſtra, latrones, fures, ſcorta & homines nauci aluit, memoriam? Illos ergo tantùm adhuc recenſebimus paucos, quorum mentionem facit Sacer N. Teſtamenti codex. Poſt memoratos ergo nominandus Herodes *Agrippa*, *Major* dictus, ejuſdem cum avunculiis & avo furfuris nequam. De hoc Scriptor

Scriptor Lucas Act. 12:1. *Cæterum per id tempus injectis Rex Herodes manibus male accepit nonnullos ex Ecclesia, interemit autem Jacobum fratrem Johannis gladiô, & cùm vidisset hoc placere Judæis perrexit comprehendere etiam Petrum, & eum conjecit in carcerem, & tradidit quatuor quaternionibus militum, ut eum custodirent. volens eum post Pascha producere populo.* Diversa admodum fortuna usus fuit hic Agrippa. Sinistra equidem suâ culpâ, felici postmodum præter meritum, vitæ autem exitum habuit execrabilem, cùm à manu Dei tactus à vermibus corroderetur, antequam impuram animam exhalare posset. Juvenis admodum Romam delatus, ubi cum Claudio, & filio Tiberij Druso educatus fuerat. Ut autem luxuria & ingluvies Herodibus erat connata, ita etiam Agrippa largitione, luxu, & vita in omnem libidinem effusa facultates suas ita exhausit, ut solvendo non esset, atque ideò Româ secedere cogeretur. Cùm autem forte fortuna se totum Cajo dedisset, Agrippa ab Cajo Caligula, cùm ad solium esset evectus, è carcere, in quem à Tiberio fuerat conjectus, liberatur, atque catenâ aurea, tanti ponderis, quanti fuerat ferrea, cui antea fuit alligatus, donatur, quam postea in memoriam Caligulæ in Templo Hierosolymitano pro donario suspendit, *Joseph. Antiq. Jud. Lib. XVIII. cap. 5. & 8.* Laudatur equidem in quibusdam à Josepho, atque ut Princeps & beneficus effertur, si autem ejus facta rite inspiciamus, videbimus, eum omnia ex ambitione pro exemplo avi sui, ad captandam gloriam & Judæorum benevolentiam, egisse, ùt id potissimum etiam ex eo patet, quòd

 solô

solô impiis Judæis placendi studiô Jacobum necaverit, & factô jam propositô, Petri morte post festum populo gratificandi, & ut pius & religiosus haberetur, etiam cottidiè sacrificia obtulisse dicitur. *Joseph. Antiq. Jud. Lib. XIX. cap.* 7. Impietatis autem atque crudelitatis certissimum erat signum, quòd innocentes milites sedecim ad Petrum custodiendum constitutos, post eductum ab Angelo Apostolum, necari jusserit, Act. 12: 19. Ita enim intelligenda verba ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι, ùt id a Philologis dudum probatum, quibus accedit Chrysostomus, qui disertè dicit, quòd isti fuerint insontes ad mortis supplicium milites deducti.

§. XI.

Diximus prosperâ admodum fortunâ usum fuisse Agrippam sub Cajo Caligula, sed major adhuc honoris & imperij cumulus homini huic accessit a Claudio, cui quondam ope, consiliô & omni labore sedulam operam navaverat, Claudius verò adeò colebat Agrippam, ut etiam fœdus cum eo sancivetit, atque ei non tantùm Jus in Templum & Sacerdotium donô unà cum universo majorum Regno datum, sed adjecta insuper Samaria, atque hôc modô Judæam & reliquas partes Palæstinæ possidebat, ex quibus amplissimos habebat reditus. Hâc itaque ratione Agrippa mirâ rerum catastrophe ex summa paupertate, afflictione & miseria ad summos fuit evectus honores, ita ut hactenus ex impia Herodiadum gente nullus ad tantam gloriam & potentiam ascenderit, & exinde etiam Agrippa Magnus dictus. In Judæos fuit benignus, cultûs & rituum

tuum Judaicorum superstitiosus non religiosus affecla, quod ex eo potissimum patet, quòd Judæos coluerit, religionem eorum defenderit, Christianos autem tyrannicè & inhumanâ planè barbarie vexaverit & extirpaverit, atque ex prolixo in Judæos studio & voluntate haud dubiè explicandi sunt versus *Persii Sat. V.* 180.

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus, recutitaque Sabbatha palles.

Quæ verba, quantum judico, malè admodum vetus Persij Scholiastes ex ignorantia historiæ Judaicæ de Herode Magno, qui vixerat temporibus Augusti, intelligit, Errorem hunc vidisse *Casaubonum in notis ad h. l. p. m.* 183. facilè colligimus ex ejus ad hos versus explicatione, cùm dicit: *Si quis malit ad Herodem Agrippam, qui vivente Persio regnum in Judæa obtinebat, hæc referre, & de die natali ejus accipere, non de primi Herodis, haud valde contendam, puto tamen rationem falsam esse quæ viros eruditissimos coëgit, sentire, quasi jam tum Herodianorum secta defecisset ac nomen, quod mihi non videtur, neque Epiphanium cum legas, ita opinor senties, adde quod ut ita esset, accuratiorem ejus rei cogitionem Persium non habuisse, nihil mirum, quare ab antiqui Scholiastæ interpretatione non discedimus.* Fatemur atque ultrò largimur Causaubono, atquæ etiam Scholiastæ, quòd magna pars illorum Ju-

 dæorum,

dæorum, qui diem natalem, non nativitatis sed regni Herodis Romæ celebrârunt, fuerint Herodiani, h. e. amici Romanorum, qui haud dubiè tempore Herodis Agrippæ & Romæ & Hierosolymis magnô erant numerô, sed negamus, quòd à solis Herodianis illud festum fuerit celebratum, cùm enim Agrippa ab omnibus planè Judæis tanquam pater Patriæ, atque Protector populi Judaici coleretur, haud dubiè omnes Judæi, qui Romæ erant, quique in universum Agrippam amabant, & epulis, comessationibus, aliisque publicæ lætitiæ testimoniis diem illum celebrabant. Secta autem Herodianorum Romæ ita locum habere non potuit, ùt Hierosolymæ, ubi Judæi in duas divisi erant partes, quorum una invitô admodum animô Romanorum ferebat imperium, altera autem à parte stabat Cæsaris, & ideò nomine Herodianorum veniebat, licèt autem tempore Salvatoris nostri nullus Herodes Judæ esset præpositus, mansit tamen nomen Herodianorum, quia illô nomine vocabantur illi Judæi, qui olim steterunt à parte Herodis nomine Cæsaris imperantis, illô autem defunctô, & Archelaô ejectô nomen mansit & illis datum, qui publicè Romanos colebant. Ab hac sententia etiam non est alienus Vir illustris *Richar. Ellijs Fortuit, Sacr pag.* 32. Ergo qui partem Romanorum defendebant, eô adhuc nomine vocabantur, quô tempore Herodum fuerant vocati, hinc apud Evangelistas Herodianorum mentio. Fuêre equidem omni tempore diversæ doctorum sententiæ de Herodianis, quas omnes enarravimus in nostris *Observationib: ad Matth. cap.* 22 *vers.* 16. quæ jam repetere

rè nolumus, sententia autem nostra de Herodianis hæc est, quòd fuerint Judæi, potissimum ex Secta Sadducæorum, qui erant addicti Romanis, & quorum mores, leges & consuetudines sequebantur, atque in hanc etiam sententiam abire videtur modò laudatus, *Richar. Ellijs Fortuit. Sacr. pag.* 32. Aliter equidem sentit vir doctissimus *Isaacus Vossius*, variar. observat. pag. 223. cujus verba nec producere, nec h. l. convellere est animus, licèt splendidô argumentorum apparatu probare videatur, Herodianos vocatos, qui Herodem Magnum pro Messia habuerint.

§. XII.

Vidimus res lætas & prosperas Agrippæ, ad mortem ejus deproperandum, quam nobis describit Scriptor Sacer, Actor. 12: 23. dicens. *quòd ab Angelo percussus à vermibus erosus expiraverit.* Finem vitæ Agrippæ ita describit *Josephus Antiq. Jud. Lib. XIX. cap. 8. p. m.* 950. Quæ brevitatis ergo latina civitate donata exhibemus. *Tertius jam annus effluxerat, ex quo totius Judaæ regno potiebatur, cùm in urbem Cæsaream ingressus est, quæ antea Stratonis turris vocabatur. Illis autem in honorem Cæsaris spectaculum edebat, cùm intelligeret pro illius salute, hos festos dies constitutos fuisse, ad quam festivitatem frequens numerus eorum, qui honore inter suos ac dignitate pollebant, ex tota provincia confluxerat; Secundô autem spectaculorum die veste indutus totâ ex argento admirabili opere contextâ, processit in theatrum primô diluculô, ibi argentum primit radiis solaribus illustratum, mirum in modum resplendescebat,*

metuendum

metuendum quiddam atque horrendam oculos in id defigentibus incutiens, moxque adulatores vocibus ipsi nihil boni ferentibus acclamabant, eum Deum pronuntiantes, dicentesque, propitius nobis esto, & licèt te hactenus tanquam hominem reveriti simus, nunc autem te melius quid mortali homine possidere profitemur; at Rex neque illos objurgavit, neque impiam illorum adulationem rejecit: Post exiguum autem temporis spatium respiciens sursum, bubonem funiculo cuidam assidentem vidit, atque illum statim malorum instantium nuncium esse intellexit, qui antea bonorum nuntius fuerat, & illicò circa praecordia vehementissimum dolorem percipiebat, accedebant ventris cruciatus statim vehementissimi, augescente interim vi doloris vehementer torquebatur, ocyus igitur in Palatium deductus est, rumorque continuò per urbem delatus est, regem jam in eo esse, ut vitam relinquat. Tandem continuis per quinque dies ventris doloribus confectus, vitam finivit, annum agens aetatis quinquagesimum quartum, regni verò septimum. Hæc verba Judæi in omnibus egregiè conveniunt cum ijs, quæ Lucas in Actis Apostolicis loc. cit. recenset, omissa tantùm sunt ea, quæ de vermium erosione Scriptor Sacer subjungit, ea autem Josephum scivisse, mihi dubium non est, sed omisit, quiâ Agrippam, tanquam insignem fautorem Judaicæ gentis collaudaverat passim, & ideò tam horrendæ & tragicæ mortis recensionem reticere voluisse videtur. Non dissimilem autem vitæ finem jam superius §. IV. Herodem infanticidam habuisse, notavimus, ut hôc modô Deus publicè designaret, quam acerbè & severè nominis & servorum suorum persecutores punire velit,

plures

plures autem Ecclesiæ persecutores hunc finem habuisse, atque à vermibus vivos erosos ad h. l. probat *Elsnerus Observatt. Tom. I. pag.* 415. ùt & illustr. *Gisb. Cuperus* de Mort. Persecutor. Tom. II. p. 305. Morbi autem hujus abominabilis mentionem passim faciunt & veteres & recentiores Scriptores, atque hôc morbô Pherecydem mortuum esse *Plinius* tradit *Lib. VII. cap.* 51. cujus verba hæc sunt; *Pherecydes Syrius copiâ serpentium ex corpore ejus erumpente expiravit.* De hoc autem Pherecyde & ejus morbo plura egit *Ælian. Var. Histor. Lib. IV. cap.* 28. *p. m.* 392. atque ejus Commentatores *Schefferus & Kuhnius* loc. cit. quos describere nolumus. Prolixius autem de his differit vir summæ eruditionis *Bochartus, Hieroz. Tom. II. Lib. IV. cap.* 26. *p. m.* 620. Sunt viri docti, qui putant, Jobum in afflictissimo suo statu, hôc morbi genere fuisse cruciatum, quia dicit, *induta est caro mea vermibus*, hoc autem testimoniis ex probatis auctoribus productis à Bocharto evictum, Antiochum Epiphanem, Alexandrum, insignem illum impostorem, atque Galerium Maximinianum verminosis ulceribus exagitatos adhuc, viventes jam verminosi cadaveris speciem dedisse. Herodes Agrippa se ùt Deum coràm populo exhibuerat se miserum mortalem esse oblitus, quem Deus toties ex ærumna, miseria & vinculis liberaverat, immerentem ad summos honores extulerat, hôc morbi genere, dum omnes superbiæ & fastûs cancellos esset supergressus, meritò puniendus erat, ut conditionis suæ memor videret, se non mortalem esse tantùm, & ab omni Divinitate, quam populus vesanus ei tribuebat, remotum,

ſed merum verminium, à quo homines maximô horrore recedere ſolent. Quæ de viſa in theatro ſuper funiculum adſtante noctua refert Joſephus, ea nec refellere nec firmare argumentis animus eſt. Ex dictis Joſephi patet, quòd Agrippa noctuas, ſibi antea forte occurrentes pro felici habuerit auſpicio, cùm autem noctua ei eô tempore appareret, quô ab Angelo Domini eſſet percuſſus, & varij in corpore cruciatus illum agitare inciperent, facilè conjicere potuit, malorum & inſtantis calamitatis hanc eſſe nuntiam. Vera ne illa fuerit noctua, quæ ex aliquo loco vicino illuc devolavit, an autem Agrippa tormina & cruciatus jam ſentiens crediderit ſe noctuam videre, meum non eſt hôc locô examinare. Agrippam & hominem impium & ſuperſtitioſum jam ſupra vidimus, ita enim etiam ſceleſtiſſimorum mos eſt, externis ceremoniis, & pietate per geſtus & externam formam compoſita, & ſe & alios decipere, hinc magnâ aſſerere poſſumus veriſimilitudine, Agrippam Judæum equjdem, ſed apud Romanos educatum, animum ſuum de auſpiciorum veritate ita obfirmâſſe, ut noctuam apparentem ſibi maximæ imminentis calamitatis præconem exiſtimaverit, Romani enim hanc avem inter maximè infauſtas & ferales habebant, ùt id patet ex plurimis teſtimonijs *Ovid. Metam. Lib. V. fab.* 8. *verſ.* 949.

> *Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctûs,*
> *Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.*

Ad quem locum plura Ovidij Commentatores *Giofanus & Burmannus pag.* 365. atque *Bochartus, Hieroz. Tom. II. Lib. II. cap.* 22. *p. m.* 285.

§. XIII.

§. XIII.

Post Herodem Agrippam Majorem, mentio fit in Actis Apostolorum alterius adhuc *Agrippæ*, cujus & *Berenices* sororis mentio, Actor. 25: 13. 14. cap. 26: 1. 28. Erat hic Herodis majoris, cujus vitam modò descripsimus, filius Berenice filia, eô tempore vidua, defunctis duobus ejus maritis, vocatur hic communiter Agrippa Minor. Patre fuerat orbatus annum agens decimum septimum. Constituerat hunc Claudius propter amicitiam, quam cum Patre coluerat, statim Regem creare, sed dissuadebant Claudij aulici atque amici, periculosum esse dicentes, Regnum nutans & seditiosum tradere juveni, hinc Claudius ablegat Fadum, qui Regno per Agrippæ Majoris obitum vacuo præesset, cùm autem quinto post anno Herodes Rex Chalcidis, maritus Berenices, patruus Herodis Minoris, vitâ excederet, Regnum illud Herodi datum, quod insigniter ei quartô post possessionem annô fuit auctum, cum Trachonitis, Gaulonitis, Bathanea & Abila adjicerentur. Hunc Nero ad majorem adhuc evexit gloriam, cûm insuper quasdam imperio Herodis urbes adderet. In Judæa præter Jus ad Pontificatum nihil habuit, quô etiam ita usus est, ut brevi quatuor summos Sacerdotes deposuerit, & alios creaverit. Hic qui ex nefaria stirpe ultimus fuisse censetur, prudens, magnanimus, magnificus & Judaicæ Religionis observantissimus vulgò habetur, ex qua re etiam ratio petenda, quòd Paulus Apostolus in sua ad hunc Regem oratione eum compellaverit ùt virum in Religione Judai-

ca benè instructum, & de ejus veritate convictum, Actor. 26: 3. 27. Tempore hujus viri feralis illa & plenaria excisio Hierosolymæ & Templi accidit, cum qua autem hic Rex nihil amisit quàm inspectionem Templi & dominationem in Pontificatum, ùt hæc omnia probant *Noldius Hist. Idum. p. m.* 375. *&c. atque Deylingius Observatt. Sacr. Tom. II. pag.* 350. Erat præterea ad exemplum Herodiadum omnium, splendidus, magnificus, & licèt non crudelis, tamen luxuriosus, & ad effrenem libidinem effusus, & quod ei potissimum vitiô vertitur, infami sororis Berenices stupro notus & ubique decantatus. Habuerat hæc Berenice duos maritos, primum Herodem Regem Chalcidis, patruum hujus Herodis Minoris, cujus post obitum secessit ad fratrem Agrippam Minorem, cùm autem rumor spargeretur, illam illicitos exercere cum fratre germano amores. nupsit Polemoni, Ciliciæ Regi, cum quo autem per breve admodum tempus in vita conjugali vixit, quô defunctô iterum ad Agrippam secessit, cum quo non sine manifesta incesti suspicione vixit. *Jos. Antiq. Jud. Lib. XX. c.* 5. Peperit notissima de hoc incestu fama versus acerbos. *Juvenalis Sat. VI.* 156.

- - Deinde adamas notissimus & Berenices,
In digito factus pretiosior ; hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa merô pede Sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Barbarum Poëta vocat Agrippam, ex quo vetus Scholiastes non sine manifesto errore Ptolomeum facit:
Quæ

Quæ de nudipedalibus ſatyricus addit, ea haud dubiè explicanda de conſuetudine Judæorum, qui pro ſalute aut publica aut privata vota nudipedes celebrabant, ùt de his plura refert *Joſephus de Bello Jud. Lib. II. cap.* 15. Vitam Berenices latius exponit *Noldius* loc: c. atque ejus forma captum fuiſſe Titum, ex priſcis Auctoribus deſcribit, & cum quo ita vixit, ut nullum ſit dubium, illam plus quàm amatoriâ conſuetudine cum Tito uſum, hinc Cæcinnam, conſularem virum, ob ſuſpicionem ſtupratæ Berenices, interfici juſſit, cujus rei deſcriptionem prolixiorem dedit *Sueton. in Tit. c.* 8.

§. XIV.

Ultimô tandem locô adhuc in Actis Apoſtol. cap. 24:24. nobis occurrit Druſilla, mulier ùt ſoror ejus Berenice, formæ ſplendidiſſimæ, ſed non minus ac illa virtutis modicæ. Hanc ſororem Herodes Agrippa pro uxore dedit Azizo Emeſenorum Regi, qui licèt Judæus non eſſet, circumciſionem tamen admiſit; ſed cum illo diu non vixit, cùm enim Felicis, eam vehementer amantis, pollicitationibus eſſet victa, relictô maritô & Religione Patriâ ejuratâ, homini gentili ſe adjunxit, id deſcribente *Joſeph. Antiq. Jud. Lib. XX. cap.* 5. Erat autem Felix libertus Claudij, qui fratris Pallantis gratiâ hanc Provinciam obtinuit, atque falsô ei à Scipione Cornelio apud Tacitum genus nobile ex Regibus Arcadiæ tribuitur, melior hac in re fides habenda Joſepho, Scriptori domeſtico, & de his rebus optimè inſtructo. Vir erat omni vitiorum genere contaminatus, avaritiæ præſertim deditus, hinc etiam à

 Paulo

Paulo argentum exoptabat, pro quo Apoſtolum dimitteret, Actor. 24:26. Necaverat Pontificem Jonatham, & multa alia ſcelera commiſit, hinc Provinciâ motus, ſucceſſorem habuit Feſtum. Hæc pauca ſunt de Herodibus, quorum fit mentio in Scriptis Novi Teſtamenti. Cum Agrippa Minore omnis ſplendor ab impia ſtirpe Herodum, juſtô Dei judiciô receſſit, atque cum illo Regnum, & quantum videtur, omnis gloria Herodiadum exaruit. Obijt autem ille ſeptuagenarius regnante Trajanô.

T A N T U M.